

riati) cum nostrorum temporum Chymicæ di-
sciplinæ studiosi sequi malunt, quam superfi-
ciarios istos, qui manum admouere operi, & natu-
ræ latentioris penetralia rimari laboriosius, piacu-
lum existimant, sapere profecto multis videntur.
Pergant illi bonis auibus, habent Philosophos præ-
stantissimos, viros doctissimos, plenos fide ac inte-
gritate duces, non tantum inter eos quorum apud
nos sancte conseruatur memoria, sed & qui adhuc
cum laude & authoritate viuunt valentque. *Utili-*
tas denique tanta est diuinæ huius scientiæ, vt con-
siderantem maledicentiam aduersariorum mirari
ac quærere subeat, aliquidne cordis ac frontis ha-
beant? Cordis: quod in tanta luce cum *Medea*

---videant meliora probentque,

Deteriora sequantur ---

Frontis; quod non vereantur fugillare Chymicos,
quorum tamen medicamentis clanculum, & ma-
gno quidem cum emolumento, in compositioni-
bus suis vtuntur. Hinc videas nonnullos flores An-
timonii ac Sulphuris, alios spiritum ac oleum vi-
trioli, & sexcenta talia ollis suis miscere, dissimulan-
ter tamen, scilicet ne hærescos in Therapeia argu-
antur.